

Zb  
7856

OK 249

# DECAS.

CARMINUM LUGUBRIVM

34 IN OBITUM

X 2045259  
*Integerrimi & Prudentiss. Viri*

# ARNOLDI

## H V N D E M A N I

COSS. OLIM APUD STOLBER-  
genses meritissimi.

QUI PLACIDE ET SINE ULLO SENSU  
aut signo doloris in Christo Stolobergæ animam ex-  
exhalavit 3. Novembris Anno 1607. sequentiq;  
die ibi loci ad κοιμητήρεον seu sepulturam  
Christianorum solenni ritu  
deductus est.

CONSCRIPTA

*Affectionis & gratitudinis*

*ergo*


à

Filio moestissimo

CONRADO HUNDEMANO.

J E N Æ

Typis VVcidnerianis



K. 249.



## DEDICATIO.

Non ita longum abiit tempus, cum car-  
mina festa  
scriberem, & ad latos configurerem numeros.  
Omne sed est latum nunc deletū indice Lethi,  
ordine & inverso carmina mæsta canam.  
Illud germanæ tædarum iterata jubebant  
fædera, seu socii festa secunda thori.  
Ast hoc, care parens, tua mors inopina cu-  
piscit,  
& jubet à thalamo respicere ad tumulum.  
Ingenii hos igitur tibi turbati offero fætus.

## AFFECTUM EFFECTUS INDIGITA- RE SOLENT.

AVAT

AVAT

I.

ANTE DEDVCTIONEM  
FUNERIS AD SEPULTURAM  
scriptum.

**E**mporta sicigitur sint continuanda  
querelis?

Sit mihi nulla quies, nulla serena dies?

Non ita pridem obiit germana puerpera, & illic  
totus eram in luctu, totus eram in gemitu.

Sed quis nunc lingua calamoq; ita pollet, ut istis  
sat possit gemitus amplificare meos?

O dolor, o ingens dolor. Ergo parente carendum est,  
qui mihi venalis non erat ære Tagi?

Quis mihi nunc superest, quem compellare misellus  
ausim hilari æquè animo deficiente penu?

Cui mea nunc curæ cordig; Camæna futura est?

Quem pariter poterit nominare patrem?

Quis nunc Juridicæ procurrere ad abdita Suadæ  
auxiliumq; mihi, consiliumq; dabit?

Induit, heu, penitus nigro se Titan amictu,  
imbricitorq; omni de latere Auster adit.

Naufragus, ah, quantis in Syrtibus hæreo, quantas  
undiq; sentinas, ah miser, experior.

Omnia certè agmen Lachesis glomeravit in unum  
mæsta, atomumq; spei vix superesse sinit.

Hic sanè ætherei multus solaminis expers  
stringeret aut gladium, nec teret aut laqueum.

A 2

At

*At quoniam infatis fuit, ut tua busta viderem  
Sancte parens, pheretrum subsequererg<sub>z</sub> tuum,  
Proficere haud quicquam potero, licet omnia tentem,  
& querula quævis tempora voce teram.  
Quem Libitina suum semel in nervum abstulit, isti  
non datur ad nostras velle redire plagas.  
Hoc saltem est reliquum, DEU Sut sine fine rogetur  
se velit orbatis substituisse patrem.  
At tibi, sancte parens, (vel livor id audiat) isthunc  
ad tumulum appendo pro meritis titulum,  
In te erat integritas, in te frons semper aperta,  
In te erat & probitas, in te erat & pietas.  
Debeo plura tibi, sed quæ non solvere possum:  
At vice cunctorum cœlica dona precor.*

## *II.*

*L*Enior & levior lacryma ista atq<sub>z</sub> ista querela est  
quæ discontinuo tempore fata movent.  
Ille sed haud ordo mihi jam contingit, in unum  
cui fluxere atrum quilibet atra diem.  
Vix soror abscessit, vix illa tepeſcere in urnâ  
deſtitit, ecce parens contumulandus adest.  
Ergo, fleam? non flere queo si morte piandum:  
ſolum, ah ah, ſuperest continuare mihi.  
Et rogo, qui poſſim lacrymam edere, quandoquidem ambos  
mors mihi diripuit invidiosa oculos?

## *III.*

*I*N niveam mutatur avem Stheneleia proles,  
Heliadum in ramos corpora populeos.

*Et*

Et saltem unus erat dolor & lacryma unica causa,  
ob Phaethontem scilicet ortanecem.  
Quid de me fiat, cui duplum est quod fuit istis  
simplum, lugendi cui pater atq; soror?

#### IV.

**D**icitur Eurydiken quondam Rhodopeius Orpheus  
dilexisse adeò, discipiisse adeò,  
Propter ut amissam stygias iutrarit ad aedes,  
tentaritq; suâ flectere fata chely.  
Dicitur hoc equidem, sed cui tam curta cerebri  
relligio est, gerris ut daret hisce fidem?  
Cerberus haud somnum capit, ut sunt somnia vatum,  
& reddit ex stygio nullus ad astralacu.  
Astego, care parens, te, si tibi vita rediret,  
exurnâ hisce meis effoderem unguiculis.

#### V.

**Q**uid cumulus velit iste sibi, fortassis avebit  
scire aliquis, Pietas cui benesuada comes.  
Eloquar id paucis, nec enim me multa profari  
turba infensa probat, cordolumq; sinit.  
Hic jacet Hundmanus, quem curia novit ad unguem  
in Stolobergiacis quæ sita colliculis.  
Quis fuerit, qualis, quantus, mihi dicere non est,  
Curiæ honoratos dicere malo patres.  
Fiet & hinc liquidum quod cunctorum bispidus horror  
mors omissa omnes conditione trahat.  
Hoc quoq; erit liquidum de vili mascula cœno  
nempe homulus, quantus, quam nihil ille siet.

Ista animi trutinâ tecum perpende viator,  
atq; cole hos cineres qui meruere coli.

VI.

Candor apud tumulum lacrymans.

**S**i tibi de nostro fletu quid nosse lubido est  
spectator, dictis aurem adhibeto meis.  
Sum Candor, nuperq; mea est direpta mihi ades  
per mortem & mortis triste satellitium.  
Hic ruder a atq; jacent: Ergo an mihi vertere possit  
fletum aliquis vitio, cum sua quisq; fleat?

VII.

**T**un' mihi, care parens, pro mortuo habendus, in urna  
dum recubas ambos porrigis atq; pedes?  
Sic equidem nobis nostræ rationis acumen  
dictitat, at sacris plus ego credo meis.  
Vivere nam Christum scire, inq; hoc claudere vitam  
vita mera est; vitam quis neget ergo tuam?

VIII.

**Q**uid quoſo homelle corculum,  
ſic elevas ſubinde?  
Quid ah miselle pallium  
ſic explicas perinde  
Acaliger Saturnia  
Junonis uſq; pennas?  
O intuere, terream,  
& te memento maſſam.

Diabo-

Diaboliqz tetricam  
vitare discenassam.

IX.

Vix adeo ire homines, & delirare, nec unquam  
effigiem Lethi pertrutinare animo.

Deditus hic ventri est, Epicuri est scriptus in Album,  
nec fatum aut votum quid putat esse D E I.

Iste monetali completere trecenta laborat  
aere loca, omnigenas & suavit inde vices.

Sunt quos compedibus male suada Aphrodisia strinxit,  
atque illis sapidum est nil nisi spurca Thais.

Nonnullos Bellona trahit, mactare quod nil his  
dulciss, adversos & laniare viros.

Summa ego cunctorum si vellem hominum acta notare,  
an serum ubi ale omnes? unde papyrus erit?

Et tamen ad minimum durant illa omnia tempus,  
nec datur ad longos continuare dies.

Dum vix respicimus, nobis alapam illa virago  
cujus in his chartis mentio multa, dedit.

Quid tunc ulterius? tragica illa catastrophe, ad ignem  
perpetuum quando vult removere D E U S.

O mi care parens, tibi qui debentur honores,  
me quod & imbueris talibus usque logis?

Sufficiat parere istis, nil gratius unquam  
hoc, scio nempe tuis manibus esse potest.

X.

A Tquod hae sunt, mellite parens, quae reddere possum  
paucula pro meritis premiola innumeris.

Plura equidem si fata simul sua vota dedissent,  
& non fatipotens tam properasset anus,

Plura

267856 GK

Plura inquam in voto tibi devoto usq; gerebam,  
& votum finum quisset habere suum.

Ast ea disturbant Lethi nunc omnia turbæ  
dum prohibent cœptis te superesse meis.

Non tamen in puteum penitus, licet invida Clotho  
ex parte impedit, gratia cuncta cadat.

Dum potero calamis uti, dum pandere labrum,  
tuq; eris in labio tuq; eris in calamo.

Imò etiam hanc à me post ultima fata loquela  
Ætherei in facie judicis excipies:

Hic præsto est, veri qui partibus usque parentis  
functus humo est; Ergo huic præmia Christe  
refer.

F I N I S.



1017

M.C.

OK 249  
 34 DECA  
 CARMINUM Lu  
 IN OBITU  
*Integerrimi & Prud*  
**A R N O**  
 HVNDE  
 COSS. OLIM APUD  
 genses meritiss  
 QUI PLACIDE ET SINE  
 aut signo doloris in Christo Sto  
 exhalavit 3. Novembris Anno  
 dic ibi loci ad *κοιμητήριον* s  
 Christianorum sole  
 deductus est  
 CONSCRI  
*Affectionis & gr*  
*ergo*  
 à  
 Filio mœstissin  
 CONRADO HUN  
 J E N  
 Typis VVcidne

